



V. 2. a

4, 52

290.



D. M.

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

FRIDERICI IV.

HEREDIS NORVAGIÆ,
DUCIS QUONDAM REGNANTIS
SLESVICI HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET
DITHMARSIAE, COMITIS IN OLDENBURG
ET DELMENHORST &c. &c.

PATRIS PATRIÆ OPTIMI,

PRINCIPIS AC DOMINI

SUI CLEMENTISSIMI

DIE XIX. JULII M DCCII.

IN PUGNA PROPE GRACOVIAM FORTISSIME
OCCUMBENTIS,

CUM DIE XIX. DECEMBR. EJUSDEM ANNI

MAUSOLEO MAJORUM

RELIQUIÆ SLESVICI
INFERRENTUR,

EPICEDION HOC

ULTIMUM PIETATIS DEVOTISSIMÆ
MONUMENTUM

HUMILLIME DICAT CONSECRATQUE

ACADEMIA KILONIENSIS.

KILONI,

TYPIS BARTHOLDI REUTHERI, ACADEM. TYPOGR.



urbati lacrymis plausus, cladesque triumphis
Et mixtæ palmis piceæ, laurisque cupressi,
Lætantisque licet murmur miserabile vulgi
Suspensos reddunt cunctos, ut fœdere miro
Pugnantes secum motus in vultibus isdem
Conspirant simul & statione morantur in una!
Et dubio ambigui vertuntur pectore sensus,
Et velut acta raris discordibus æquoris undis
Motibus adversis nunc huc nunc volvitur illuc,
Sic sibi nota parum vario mens fluctuat æstu.
Scilicet ampla quidem victricis præmia dextræ,
Et raptos clypeos, & pila aurique talenta,
Sed caro nimis empta tamen memorantque dolentque
Gens duce devinci **FREDERICO** nescia Sueci;
Et quasi Marte pari bellum cum gente Polona
Et non dissimili duxissent laude, perempti
Principis interitum **FREDERICI** mille tropæis
Componunt. Cimbras tandem pervenit ad oras
Hæc, sed fida minus funestæ nuncia cædis
Fama: vices questus timidi fremitusque secundi
Alternant, & mista metu sunt gaudia cœco;
Ceu Phœbo blandum radiante poloque sereno
Nonnunquam pluvius cœlo demittitur imber.
Tandem non dubium crebrescit sermo per orbem,
Et firmus rumor pavidas allabitur aures
Concessisse Ducem fato: nimio ululatu
Illius est sancita fides, longeque remotæ
Vicinæque suo gentes hæc funera planctu
Sunt falsæ, inprimis longe mœstissima tanto
Cimbria confidit viduataque patria luctu.
Et modo flere jubet vetuit qui flere Camœnas,
Et nos tot lacrymis lacrymas, quod possumus unum,
Jungimus, & clamorem ad sidera tollimus ingentem
Omnes attoniti stupéfactis vultibus omnes.

Ut vero tumulis constet decus, ordine dotes,
Factaque defuncti Herois, caussamque locumque
Infandæ necis agnoscemus, & arva relictis
Stat Cimbris Lechæa sequi camposque Polonos,
Mœstaque lugentes rapere ad spectacula Musas.
Est locus infelix, feritas ubi regna tenebat,
Informis tristisque & sentibus aspera tellus,
Vistula non largis quam præterlabitur undis.
Haud procul hinc Clisko & mage nota Cracovia distat
Quondam se Gothico summittere iussa Leoni.
Hic cædes spirat spectandus acinace Lechus,
Et Litanus adest & Tattarus, & Samogita,
Barbaricoque tremenda sono queis nomina gentes.
Et late videas undantes milite campos
Saxonico telumque manu letumque ferente,
Ipse quibus coram Princeps dat jura Polonus.
Huc etiam properant, genus insuperabile bello;
Esthones ac Sueones, Finnique, Ingrid; Gothique,
Excitæque Aquilone acies, & nata triumphis
Et ferri patiens armisque assueta Juventus.
Carolus insignis palmis victricibus Heros,
Agminis est ductor, solus validi agminis instar,
Multarumque potens partes implere phalangum.
Non olli nitet ære caput, non ægide pectus,
Ast oculi radiant, & bellax fulminat ense
Invicto manus, & dextrum cornu illa tuetur.
Par regno vultus regaliaque ora timorem
Hostibus injiciunt, animumque rüentibus addunt
In ferrum Suecis; tamen his quoque pectora dictis
Firmat & exstimulat solitas ad prælia vires.
Numinis auspiciis, fratres, pia movimus arma:
Causa Deusque favent: causa vincemus ut armis,
Vos modo nec vobis nec parcite quæso Polonis,
Nec sit terrori numerus: nos viribus æqui

Majoresque animis ingentem in vulnere molem
Perniciemque patere suam monstrabimus hosti,
Hæcque dabunt animis propiora pericula vires.
Nonne decem nuper Moschos superavimus uni
Fædifragoque Duci fatalem ostendimus ensem,
Innumerosque arvis patriis detrusimus hostes?
Nunc eadem belli fortuna sit, exitus idem,
Sentiat & Saxo Lechæaque turma scientes
Vos pugnae juvenes & semper vincere Suecos.
Dux ego vester ero per tela inimica per hastas,
Perque globos glandesque & plumbi missilis imbres.
Non me fatorum leges ac jura morantur
Ambiguæque vices & inevitabile lethum,
Ante diem si forte cadam, sceptrumque relinquam,
Summa cui rerum credatur summaque belli
Successor FREDERICUS adest fortissimus Heros,
Affinique mihi conjunctus sanguine Princeps,
Qui regnum sola poterit virtute mereri,
Sarmaticoque meos manes placare cruore.
Ite citi, mea gens; periit pars magna diei;
Ite citi, fratres, tuba signa dat: undique Lechus
Imminet: ignivomis moles tonat ænea nimbis.

Deserat. promptos & ad ardua quæque paratos
Regia vox animos cantu magis incitat æreo,
Et monitis tuba rauca minus regalibus urget.

At qualis quantusque oculis sese omnibus infert
Sarmatici terror FREDERICUS nominis alter,
Quo nondum bellante queunt cecidisse videri
Cum propius absint gens sangvinolenta Cosacci,
Acer eqvo, gladioque minax sitiente cruorem
Disponit cornu quæ par est arte sinistrum,
Fortiaque armatus lorica corpora athena
Stare loco nescit, Lechosque & tempora pugnae
Gaudet adesse, Deo; duce in media arma ruamus,

In media arma ruamus, ait; nec plura profatus,
Prævius exemplo, quod voce potentius, ibat.

Fulmine pejus opus crudo diverberat auras,
Infestisque boant tormenta immania pilis,
Machinaque exonerat funesto viscera partu,
Qualis, ubi horrificis immuguit Ætna ruinis,
Flammarumque globos liquē factaque ad æthera saxa.
Cum gemitu eructans; Trinacria murmure tanto
Intremit, ac late nebula subtexitur æther.
Haud secus excutiunt mirando pondere glandes,
Et celeres in damna globos & cæde madentes
Alternæ: populi metuunt sua fata propinqui,
Et cæca vapor involvit caligine olympum.
Nec mora: quod licuisse nefas haud debuit unquam,
Quod calam⁹ trepidat, quod conscia scribere dextra,
Quod meminisse animus refugit, quod lingua referre;
Princeps sacrilego sua pervia corpora telo
(O furor! o nimium trucis inclementia glandis!)
Sentit, & ingenteis in tergo vulnerum hiatus.
Et jam volvitur in præceps, similemque cadenti
Excipiunt flentes amplexanturque ministri,
Et tingunt nunquam viso sibi sanguine vestes,
Et plagam dolor est vidisse, oculosque retorquent.
Fallor, an & quadrupes Ducis ardua colla iubeasque
Inclinat, lacrymansque negat suspendere gressus,
Se veluti vulnus non excepisse doleret.
At Dux impavidus poterat solusque videri
Par similisque sibi nullos sentire dolores;
Spem simulat vultu celareque vulnera vellet,
Quodque regit cornu fraudare simulque Cosaccos,
Sed corpus frustra lacerum crexisse laborat
Solo animo, membrorum arcta compage soluta,
Sanguineumque vident mista (miserabile) arena
Calcari fufum de corpore Principis imbrem.

Erubere nefas stillantia gramina rore
 Non solito, & tellus feralibus horrida guttis,
 Ergo jubet Princeps tradi laniata medenti
 Corpora, seminecesque artus, campumque relinquit
 Martium, & insigni virtute & fortibus ausis
 Prudentique viro sibi credita munia desert.
 Sic flammis septus Phaëthon dimisit habenas
 Imperii, & plaustris ingentibus excidit ausis.
 Extemplo major mentem furor infulit, iras
 Longius extendunt Sueones, majoribus ardent
 Suffusi flammis oculos, atque acrius enses
 Ultiores stringunt, ac cæde ferocior ipsa,
 Et capite amisso gens orba valentior hydræ
 Instar Lerneæ vires de vulnere sumit.
 Invia vindictæ nulla est via: crimen inultum,
 Exclamant omnes, nec erit sine vindice vulnus.
 Raucus bacchantum fremitus clamorq; furentum
 Bellicus audiri toto æthere, & ocyus Ingridi
 Fulminibusque suis levibusque volare sagittis,
 Haud aliter pecoris generoli pullus inire
 Sponte viam & gressus gaudet glomerare citatos;
 Si vero domitor fodiat calcaribus armos,
 Ante notos zephyrosque per invia & avia fertur
 Præpetibus plantis, & adaugent vulnera cursus.
 Crescit amor pugne quantum discrimina crescunt,
 Et minor est, quo sunt majora pericula, terror,
 Pesque pedi, manique manus, atque ensibus enses,
 Acturmis turmæ junguntur signaque signis.
 Et passim videas vexilla inimica caballis
 Incussura metum Gothicis, & candida credas
 Carbasa te toto volitantia cernere ponto.
 Alternant geminantque ictus, cælumque tumultu
 Omne solumque tonat, cruor undiq; & undiq; strages.
 Lechorum occultant densata cadavera campos

Impedi-

Impediuntque viam, ut medio cum cæditur æstu
 Falce Ceres spissisque latet sub messibus æquor.
 At miles Gothicus per funerum & hostium acervos
 Ingruit, ut torrens ripis effundere iniquis
 Captivos gestit fluctus, & vortice moles
 Spumanti oppositas vincit, spatioque vagatur
 Liberiore, & ovanti involvit gurgite campos.
 Fit fuga: victores Sueones vaga turba Poloni
 Qua via cunquedata est, & certa pericula vitant,
 Et minor est hostes, quam quærere, vincere cura.
 Cæduntur fato sese eripuisset volentes,
 Invitæque neci occumbunt, lethique timore
 Accelerant lethum; pars Sueco sequæ suasque
 Divitias tradunt congestaque pondera gazæ.
 Dummodo sint salvi facilis jactura bonorum est.
 Exsultant Sueones præda spoliisque potiti
 Et palma, Lecho rumpantur ut ilia abacto.
 Interea medicas ad vulnera Principis artes
 Sed vano studio applicuere manusque medentes.
 Eloquar, an fileam? nam res est horrida dictu,
 Lumborum vertebræ immani verbere læsæ
 Deprenduntur, an est vuln⁹ medicabile Princeps.
 Quarit, & auxiliis locus aut spes ulla salutis?
 Sed spæsmi spem non ullam superare docebant,
 Et sensim vires ad publica commoda nata
 Deseruere Ducem, mortemq; manere videtur
 Audita Sueonum fortuna & strage Polona,
 Et tandem placido profert has ore loquelas.
 Ah fragiles nexus miserandi corporis hujus!
 Ah vanas hominum curas & inania vota!
 Bella fatigatos dudum exercentia Suecos
 Subsidiumque mihi nuper palmanque ferentis
 Regis amor laudumque, & non ignota voluptas
 Vincendi nos huc, non vilia vota, vocabant.

Vicinus, & reficit me fors optata meorum,
Qvosego, dum licuit, iusto moderamine rexi;
Sed cogor magnis in pugnae limine cœptis,
Consiliisque meis desistere, & ultima restant
Prælia nunc obeunda mihi cum morte propinqua,
Ut victor referam supremo ex hoste triumphos.
Summe Deus, tibi stat tenues impendere vitæ
Reliquias, & te per sparsum sanguine pectus,
Perque trucidis tormenta necis laniataque JESU
Corpora ne peream quæso. non spero nec opto
Hac in luce moras, quin saucia linquere membra
Ardeo inexpletum laceros & corporis artus,
Ut degam tecum vitam sine fine perennem.
O miserere mei, Deus, & jam morte natantes
Claude oculos, animamque astris cœlestibus infer.

Dixit, & eluctantem animam simul expiravit.

Et jam non tacito venit amplius ullus ab ore
Spiritus, & vitæ jam defunt signa peractæ.
Et jam morte obita summi novus ætheris hospes
Adfuescit propiore poloque Deoque fruendo.

Obstupere animis percussi funere tanto
Nec fletus potuere effundere, ut ante, ministri,
Sed siluere diu, ceu Principis ora perempti.
Ut vero Regis feralis vulnerat aures
Nuncius, horrendo ceu Martis fulmine tactus
Diriguit plaga qua Princeps læsus eadem.
Forte sedebat eqvo, scandit quoque cura caballum
Cura equitis fugitiva relinquere nescia dorfa,
Et tandem sibi dilectum modo flebile corpus
Vix suus adspicit, colloque jacentis adhæret,
Sanguineosque iterumq; iterumq; amplectitur artus.
Et lacrymas, quæ profiliunt, cum sanguine miscet,
Et tales conculso effundit pectore questus.
Ergo ibis pro me, frater miserande, sub umbras

Et

Et sine me? tua cæde mea redimenda fuissent
Ah nimium quantum properata ac tristia fata.
O utinam nostra tibi vivere morte daretur!
Infelix itate Conjux HEDWIGIS haberet
Et Gnatus, Fraterqve, Parensqve orbæq; Sorores;
Me mea, me Genitor, cœli me regna tenerent,
Et nostræ facilis vitæ jactura fuisset,
Nec me plorarent Conjux Fraterve Parensve,
Nec Gnatus frustra mea nomina sæpe vocaret.
Illud erat quod mente ego divinante verebar,
Cum thorace artus morituraqve pectora texi
Immemoris fatorum & nil tam triste timentis,
Atqve tuum metui magis auxiliantis amorem,
Quam sævas inimicitias & tela Polona,
Per quæ tu nimium nobis nimiumqve fidelis,
Prodigus ipse tuæ vitæ, periture, ruebas.
Non tanti sumus, aut mea quæ te scepra manebant,
Aut populi te felices regnante futuri,
Aut quæ tam grandi constat victoria damno.
Tam gravis est omni major jactura triumpho,
Pene mihi victus videor: sic vincere vinci est.
Præstitit innumeros te solo sospite cædi.
O utinam potius cessisset gloria palma
Hostibus: a nobis hæc possent damna rependi;
Haud nequeo Lechos, neqveo superare dolorem.
Me perimis, fuerat Lechus perimendus, & hosti
Fas nocuisse fuit, nobisque nocēs & amicus
Et magis ipse tibi, sic sanguis amorqve jubebat.
Quas tanta grates tibi pro pietate rependam?
Antea nos Moschi vincant sævique Valachi,
Quam nos tam fidi capiant obliviam fratris.
Corpore quæ gestas nos vulnera mente feremus,
Nec tantæ fidei nec cædis imago cruentæ,
Dum vitam servabo, meo de pectore cedet.

Ast non imbelli plorabo funera questu:
Afflicti lacrymas animi me fundere testes
Haud fatis est: fuso testaris sanguine amorem.
Adde, quod ad manes placandos gratior ibit
Fletus quem victo te victa Polonia ducit,
Et quo Saxonicae plangunt sua funera gentes
Et tua, quæ clademque suam exitiumque tulerunt.
Scilicet hæc aufers tecum solamina cædis,
Et nostrum minuit luctum, quod te duce læso
Lævum majores cornu conceperit æstus,
Et solitas vires geminaverit ira dolorque,
Et quod dicaris Lechos superasse cadendo.

Dixit, & in cælum festivas tollere voces,
Et vetuit læta æra sonare & certa triumphii
Argumenta tubas, & partæ classica palmæ
Nuncia signa, latex Lenæus vinaque nusquam
Sed lacrymæ passim fluxere, tropæa Cofaccos
Ex Ingris rapuisse putes victosque Suæcos.
Sol ruit interea atque involvunt nubila cælum,
Et lætos rebus nox aufert atra colores,
Et se tam triftis testantur conscia fati
Sidera, devexus queis jam non gaudet olympus.

Diditur ulterius viresque acquirat eundo
Et mentes luctus Gothicas pariterque Polonas
Percellit terrore, Ducisque est mæsta loquendi
Materies nimis acceleratum & flebile lethum.
Audiit hoc Conjux, arcisque in parte silentii
Nescia pene sui fugit lucemque diemque,
Et thalamum petiit viduum, & jejunia longa
Ultrò servavit, nec consolantia verba
Advertit, solique silentia tristia planctus
Ruperunt, ac rorarunt regalia guttis
Stragula, nec potuit lacrymis æquare dolores.
Tandem pejor, ait, mea fors est forte Mariti,

Namque ego mente feram quas gestat corpore plagas,
Nec nostri propero gaudebunt sine dolores.
Morte cruentata fero deteriora, necemque
Vulnus idem nobis . . . mediis vox faucibus haret,
Audiit hos gemitus suspiriaque alta jacentis
Ægra Soror, conata loqui est: dolor orare prepressit.
At manant eadem largo pallentia fletu
Et lacrymis lacrymas miscet: tum cætera circum
Turba gemit: mœsto resonabat regia planctu,
Et dilecta sibi Genitoris nomina Gnatus
Imperii simul & patriæ simul indolis Heres
(Unica quæ superant orbis solatia Cimbris)
Scæpe, sed incassum studioque vocabat inani.

Non autem solos tangit dolor ille Sæcos,
Nec Rheni tantum longasque Istri alluit oras;
Feralis totum vulgatur fama per orbem.
At Meleri Sleyæque inprimis mœsta fluenta
Et patrii fluvii suspiravere cadentem,
Et questus inis geminavit vallibus Echo.

Cimbria quis tibi sensus erat? quis pectora motus
Concussit? magis atque magis cum fama per urbes
Non incredibilis nimium sed certa volaret,
Crudeli in pugna trajectum corpora telo
Interiisse tuum Dominum Patremque benignum,
Æternum flendum, memini, damnumq; nefasque
Mente volutabas tacita, longumque gemebas,
Planctus ubique & ubiq; dolor. Gottorpia sedes
Culta futura Ducis nova marmora vivere iussa
Phidiaca dextra, mutata squalida pompa,
Occulcat panno tristi & velamine furvo.
Quoque loco steterint Regum simulacra requiras,
Signaque visa Duci nondum, nunquamq; videnda.
Nec sese intendunt muros aulae per omnes
Illusa argento aut bombyce, sed ater ab illis

Suspensus mœror viduat splendoribus arcem.
Apparet facies hujus funestior Aula,
Quocunque adspicias nihil est nisi luctus & horror,
Et nimium Princeps **FREDERICA AMALIA** Matrem
Exstincti sese probat, & dat pectore ab imo
Luctifonos gemitus, poteratque perire videri,
Et neque crudelem sopit nox sera dolorem
Nec reditura dies: fugit hanc, renuitque videri,
Seque nequit prohibente suas divertere curas.
Sunt arci vicina vireta, beataque Tempè,
Et quæ se laudat Via laudarique meretur
Flaminia potior, quam Princeps ipsa prope undas
Regali sevit sumptu, moremque frutetis
Arboribusque tulit, collesque atque ardua montis
Aggeribus versis æqvavit. Sæpe solebant
Hæc animum curis loca solvere; sæpe solebat
Hæc rerum facies suavissima pascere mentem,
Delitiæque situs oculosque pedesque morari,
Jam vero soli sese permittere gaudet
Tristitiæ; illecebris se posse carere molestis
Sed luctu modo nolle refert, nec se satis unquam
Posse dolere dolet; cum Gnato gaudia, dicit,
Et prope vox nobis & sunt solatia raptâ.
Non illi dulcis blanditur voce volucris,
Nec gratum lymphæ murmur, velut ante, videtur,
Nec permulceri patitur mœrentia dictis
Pectora. Solamen miseris solet esse suorum
Mœrentes socios fociasve habuisse dolorum:
Ergo Gnatus adest nunc unicus, optimus Heros,
Et nulli Proavum virtute & laude secundus,
Et Genèr accedit Princeps doctusque piusque,
Et verbis tristes satagunt secludere curas.
Vos quoque turbatas memorant venisse Sorores
Principis exstincti, lacrymisque genas tumuisse

Formosas & vestra nataſſe nitentia fletu
Lumina, & unguibus ora & candida pectora pugnīs
Fœdata, & curis haut conveniente colore
Et Tyrio tinctas ſucco Aſſyrioque veneno
Diſciſſas dextra veſtes lacerante fuiſſe
Flaventſque comas, Hoc eſt geminare dolores
Quos fruſtra quærunt ſolantes demere voces,
Quas ſingultus impediunt & lacrymæ obortæ,
Sed conſanguineo gemitus de pectore ductos,
Cognatæque genæ quibus immaduere ſinusque
Longa referre mora eſt, citius numerabis arenas,
Quam numerum poſſis lacrymarū iniſſe profuſarū
Iſta morte ſuper villas intravit & agros,
Et varias aulas luſtus longeque remotas
Turbavit gentes, ſed non tam flebilis ulli
Quam Cimbris populoque ſuo pius occidit Heros.

Hi luſtu paullum ſedato triſte cadaver
Reliquiaſque ſinu ſe condere poſſe vovebant.
Infelix corpus pullato imponitur axi:
Illius terra comites deſixâ tenebant
Ora: Ducem rapiunt currus, rapit aura querelas,
Involvuntque rotæ lacrymantia verba dolentum,
Fallimur, an prohibent dum ſtrident eſſeda fletus?
An poſſunt lacrymis plauſtra aggemuiſſe videri?
Urbibus incuſſit paſſim ferale pavorem
Terrorique fuit tibi Vratiſlavia buſtum.

Ut vero puppi committitur Odera ſentit
Quem vehat, & fluctus turbatos volvit, & auget
Attonitas lacrymis lymphas, gemituque dolores
Teſtificata ſuos Berolino funera reddit.
Ingens depositum, quo denique Cimbria viſo
Infelix nimum renovato Cimbria luſtu,
Dejecit vultus, fuditque has deinde loquelas.

Quæ mala, quas ego te cædes & vulnere paſſum

D

Acci-

Accipio? stabat salvo palmisque superbo
 Plaudere; sed quondam lauris manus apta ferendis
 Ex sanguis redit; an feriunt quoque fulmina lauros?
 Grandibus hæc merces ausis, pretiumque; LABORI
 CONSTANTI? tantas luimus quo crimine pœnas?
 In vanum mea cur ceciderunt vota precesque
 Quas toties abeunte die & redeunte peregi?
 Quid cadis ætatis primævo in flore virentis,
 Haud expectata segetes ut falce per agros
 Turbo ruit, crepitansve horrenda grandine nimbus
 Fundit humi Cererem expulsum ab radicibus imis,
 Et necdum flavas sternit magno impete spicas?
 Ah ubi majestas, mirandaque; gratia vultus
 Quæque; oculos quondam pascebant lumina nostros?
 At non talis eras, non talis, Gnate, redibas
 Ex Sueonum regnis, cum connubialia ritu
 Gaudia regali celebrasses, Nuptaque Princeps
 Regia se tecum plausu fremituque secundo
 Et gremio recipi nostro gauderet, & ipsi
 Te portus, ipsa hæc te littora læta vocarent.
 Spectandi studio ruere undique & undique; vulgus,
 Et cunctis cuncti cives se effundere portus,
 Et trahere innumeros variæ spectacula pompæ;
 Et gestire senes hæc in solemnia canos
 Gaudia servatos memoranda nepotibus olim.
 Lætitiæ sensus quoque declarare fragore
 Innocuo tormenta & tum non muta metalla,
 Et longum tonitru vocalia ludere blando
 Æra, tubæque sonare & nuncia tympana fausti
 Adventus Domini Dominæque; & amabile murmur
 Et toto audiri clamores æthere festi.
 Quin etiam, memini, majores Eydera fluctus
 Volvebat lætis tunc officiosior undis,
 Quosque dabat plausus geminabant undique ripæ.

Et

Et revirescebant vernanti gramine rura,
Et flores arvis & cœlo cuncta sereno
Ridebant, & signa dabant manifesta favoris.
Nunc, **FREDERICE**, redis nimium mutatus ab illo.
Flebile ripa sonat nunc patria: funebre murmur
Eydera nunc edit, nec versicoloribus herbis
Blanditur reduci, sed nunc monumenta doloris
Ferales gaudet vestes assumere tellus,
Iratumque mihi se turbidus indicat æther.
Quid vero argumenta sequor causasque doloris?
Quin tibi regali bustum de more parabo,
Et non immemori cælabo facta metallo,
Et sculptis addam voces sensusque figuris,
Per quos semper eris præsens, defunctaque vitæ
Qveis possunt animata modis tua corpora reddam.

Dixerat: in vultus it marmor Principis, aurum
Ducitur argentumque; ornantque; metalla sepulchrum,
Rostraque defunctum pullata dolere jubentur,
Et facras possunt lugubria verba cathedras,
Effertur, solvuntque Duci funebria mœsti
Magnates Procereque & versa tristior hasta
Miles: eqves pediteque; & tympana furva dolorem
Significant, & equus vestigia verrit amictu
Atrato et crurum sinuare volumina nescit,
Quanta majestate ferunt, se gloria cœtus
Solemnis princeps! quæ vultus quantaque gressus
Est gravitas! ut procedunt tarde **CHRISTIANUS**
AUGUSTUS Frater Ducis extincti, Patruusque
AUGUSTUS FREDERICUS Episcopus Eutinensis.
Plurima post illos pedetentim turba sequuntur,
Sed volat & ruit ad spectacula tristia vulgus.

Templa patent tumulique; locus: vidisse perire est,
Sic luctus geminat præsentia Mausolei.
Et modo triste ululant litui & modulamina vocum,
Et modo displosi horrifonus fragor intonat æris.

Ast nunc busta oculis se proripuere; videtur
 Nunc demum vere nobis ereptus, & omnis
 Nunc furdus simul & dolor est elinguis & amens.
 Et merito Patriæ Dominum Patremque dolemus
 Amissum, de quo laudandum quicquid ab ore
 Proferri poterit fas est dixisse: Parentum
 Victurus decus, & major majoribus ipsis
 (Ut Vitikindeo deducat origine gentem
 Et Reges agnoscat avos) minimumque; futurus
 Par erat & prisca Heröibus haut minor Heros.
 Sed brevis exigvæ vitæ mora & obstitit ætas
 Quo minus æquavit veterum fortissima Cimbrum
 Facta polo scriptisque suis quæ maximus olim
 Ineruit Cæsar. Tua mœnia, Cimbria, testor
 Invieta defensa manu, cum surgeret hostis
 Ausibus intestis, patriisque niteret in agris
 Ære corusca cohors, & fulgura mitteret armis,
 Dira videbantur rumpentes fulmina nubes
 Et nostrum petitura caput dispergere tela.
 Jamque cadaveribus pacisci gaudebat Enyo,
 Et facies rerum miserabilis apparebat.
 Stella salutaris visus **FREDERICUS**, & hostem
 Cimbriacis frustra terris extrema minantem
 Discussitque hyemem rediens post nubila Apollo.
 Tum vero patuit prudentia Principis annis
 Major, & ingenii virtus aciesque subacti,
 Canitiesque animi; sine cæde & sanguine solis
 Consiliis victor Cimbris mirantibus urbes
 Restituitque suum cum libertate vigorem.
 Secretas animi latebras cæcosque recessus
 Commendat victus, nec spem modo ponit in armis.
 Infausti, Lodoice, soli tu damna rependas,
 Quasque noverca negat lymphas natura ministres,
 Versaliæque fitire vetes mirabilis agros,

Transf-

Transeat ipse laboratos (res mira) canales,
 Iussaque per patuli strepat amnis viscera montis;
 Conciliare decus populis viresque valenteis,
 Occultaque suis ratione viaque vigorem
 Sufficere imperiis, hæ nostri Principis artes.
 Illius auspiciis redivivos Cimbria vultus
 Induit, hoc cœpit de fonte virescere Pindus
 In melius mutatus, & artibus unde niterent
 Ille dedit. qua voce tubas, qua voce canoros
 Accendit lituos, animavit plectra lyrasque,
 Et vetuit lauros marcere animosque Camœnis.
 Quid magis eximium, magis est quid Principe dignum,
 Quam doctos pariter titulis & honoribus auctos
 Demeruisse viros, stimulisque urgere, datisque
 Muneribus ditare, & præmia ponere Pindo?
 Scilicet innatus sublimis tumentibus ardor
 Dicitur ille animis, cognataque pectora cœlo
 Ignis hic inflammat divinior: hæc FREDERICI
 Non postrema fuit tollenda ad sidera virtus,
 Qualis ubi largus resolutis nubibus imber
 Decidit, & vario rigat agros flore superbos;
 Attollit caput, & recreatum munere cœli
 Lumina conciliat pratis, & spirat odores
 Germen, & ex illo studiosa examina mellis
 Aërei gaudent fragrantia carpere dona;
 Haut aliter Princeps profugos renovavit honores
 Parnassique sui decus instauravit, & artes
 Sumptibus accendit Latias, crevitque docendi
 Discendique cupido simul: sensere favorem,
 Hucque velut factæ venerunt agmine Musæ.
 Et jam non alio tot prælia docta Lyceo,
 Bellaque, in expertis quæ non fugienda videntur
 Quævis nihil expertis est dulcius, acta ferentur.
 Fervet idem studium post funera Principis, idem

E

Nos

Nos labor exercet, prælumque subinde fatigat
Quæ sibi præscribit FREDERICI pagina nomen.
Quin etiam doctis præbet congressibus aures,
Mandatque Ducis memor aut sermone soluto
Publica verba facit vinctave iuventa loquela,
Et florent Cimbræ FREDERICO vindice Musæ.
Quid leges opus est alias celebrare canendo,
Quas nemo nescit sanctas renovare cathedras,
Et doctæ toties publi inculcare quotannis.
Scandunt indocti truncique cacumina passim
Rarus honos meritis, venalia munera nullis
Divitiis pacta furtim mercede petuntur
Cœlesti spreto nutu, rapiuntur honores
Præmia doctrinæ quondam mercesque laboris,
Indignisque modis affectat munus & ambitus
Blanditiisque suis prenfat precibusque pudendis
Et tandem extorquet ducta pars multa puella.
Ne pestis Cimbris hæc publica glisceret oris
Sanxerat edicto Princeps. jurare tenetur
Munere functurus sacro non artibus ullis
Illicitaque via sed eo se jure potitum;
Ut sint solius pretium virtutis honores,
Sanctarumque magis vigeat reverentia legum,
Et caput ante alias extollat Cimbria gentes.
Quis vero laudes justo comprehendere versu
Audeat, & resonare Ducis præconia plectro,
Cum semper dictis superent majora, nec uno
Tempore multarum proferri copia rerum
Possit, & officiat nimius nitor? adde quod illas
Historiæ, gentesque omnes linguæque loquentur,
Quam placidas artes fuerit complexus id unum
Exibit non ingrato dum spiritus ori
Materia numeris nos conveniente canemus.
Hoc tantum campo fas est tentare quadrigas,

Et

Et nostris via nota rotis hæc sola tererur.

Corporis egregias dotes, ac frontis honores
Clementis nimium, metuentiæque ora timeri,
Sidereumque supercilium, formæque decorum,
Laudabunt alii; studiumque dedisse palæstræ
Et lances torsisse Ducem, dextraque perite
Vibravisse hastas, & membra accommoda bello
Ad numeros agili motu formasse choreis,
Et jactasse pilam, fortesque labore lacertos
Duratos scite fixisse volatile plumbum,
Quadrupedemque umbra ferulæ nutu rotasse,
Et celeri superasse notos ac tela volatu,
Et cervos & apros, simulataque prælia veris,
Et pugnae speciem prima luisse juvena.

Nec deerunt oculo qui circumeunte notasse
Disita regna ferent, formamque modumque regendi,
Et qua parte labet ditio, qua parte virescat,
Et varios habitus ritusque, animumque morari
Digna pedesque Ducis Latiae miracula terra,
Quæque Padus lambit loca vel Tiberinus & Arnus,
Quæque ferox Rhenus vel ripa binominis Istri,
Et juga Pannoniæ quasque Hungarus incolit urbes,
Et Batavos, Danosque; sed omnes ante probatos
Suecorum gentis mores, aulamque Gothorum
Principis antiqua sibi quem virtute fideque
Officiisque & continuo devinxerit usu.

Scilicet huic studio sese devoverat omni
Et vitam Gothico Princeps impendere regno
Dudum promptus erat, gentisque suamque salutem.
O utinam non illa fides firmata fuisset
Luctifico nimium facta nimiumque dolendo!

Sunt tamen infaustis sua sunt solamina Cimbris,
Vivit adhuc per quem FREDERICI gloria sese
Tollet in immensum, veniat modo serior ætas,

Et rediisse potest occasus Apollo, suosque
Jam nunc sparsurus radiosque jubarque iuperque
CAROLUS est FREDERICUS. Is ore animisq; Parëtem
Et referet factis Suecum, ceu nomine, Regem,
Et vicisse studebit, utrique simillimus unus.
Vixque erimus tantæ luci Solique ferendo.
Sic primum reduces ubi Titan extulit ortus,
Et cæcas reteg it terras, & dimovet umbras,
Vix apices spargit redivivo lumine montis,
Et visus refugit placidus præstringere fulgur;
Sin autem medium trajecit celsior axem
Haud oculis licet immotis admittere flammas.

ODEUS hoc carum non uno nomine pignus
Spemq; metumque suæ stirpis viduæque Parentis
Conserva salvum, ut patrios simul impleat annos
Et simul ipse suos, & spes & vota fuorum
Et numeros Ducis, & Cimbris populisq; vigorem
Restituatque, potest quem nemo reddere, Patrem.

Interea majus dum fumit robur ab annis,
Atque ætas puerum nondum matura moratur,
Imperiique nequit rerumque capessere habenas,
Vos quibus afflictæ moderamina credita terræ,
Orbaque Tutelare vocat quos Cimbria Sidus
Ad quod deserti flectent sua carbasæ lintres,
Perfugio sitis Vestris, Pindoque saluti,
Lenimenque mali, nostrosque levate labores,
Et revocate animos, omnemque avertite curam,
Et, merito Vobis quæ nos adferre deceret,
Vos nobis date feralis solatia casus.



Pom

Ge 3656

20



sb.

①

Handwritten notes at the bottom right corner, including the word "Vorwort" and some illegible scribbles.





D. M.

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

FRIDERICI IV.

HEREDIS NORVAGIÆ,
DUCIS QUONDAM REGNANTIS

SLESVICI HOLSATIÆ ET

DITHMARSIAE, COMITIS

ET DELMENHORSTENSIS

PATRIS PATRIS

PRINCIPIS AC

SUI CLEMENSIS

DIE XIX. JULII

IN PUGNA PROPE GRACIA

OCCUMBE

CUM DIE XIX. DECEMBER

MAUSOLEO M

RELIQUIÆ SUI

INFERRENT

EPICEDIO

ULTIMUM PIETATI

MONUMENTUM

HUMILLIME DICAT C

ACADEMIA KI

KILON

TYPIS BARTHOLDI REUTHE

